

compertum habuerūt homo callidus ac ve-
terator illius ordinis animos fuisse patribus
semper infestos : quod multis secessionibus
& tribunorum plebis intercessiōibus demō-
stratum est : adeo vt ijs plarumque tribunis,
qui senatum grauius exagitassent, magistra-
tus in odium nobilitatis prorogaretur. Sem-
per hi duo ordines in vrbe roma cunctis etiā
in locis inter se dissenserūt, nec vnquam hu-
iusmodi simultas vel tacitis mētibus extirpa-
bitur. Quippe quum vulgus æquare se no-
bilitati vel ignauiæ vel naturæ vel legibus ne-
queat, odio in ipsam incēditur, dehinc mores
& oēm vitam probris atq; criminibus inces-
sit atque proscidit: pro grauitate superbiam,
pro moderatione timiditatem, auaritiā pro
frugalitate iniqua interpretatōne appellat
Marius quum istuc spes omnes suorum ho-
norum vel potius Tyrannidis coniecisset, pe-
stilentī rabie primum ad meam statuā & Boc-
chi regis amicissimi populo romano summa
erga me inuidia, ingratitude vero in tantū
regem inaudita penitus euertendam se accin-
xit. Quod ei flagitium si ex animi sententia
successisset, extemplo maiorum monumētis
exitium gladiatoria ferocitate intendisset.
Quid tunc animi, quid sensus fuisset nobis